

punitus est<sup>1</sup>? Cur peccatorum Achab regis Israël in ejus posteros pœna dilata est<sup>2</sup>? Ut quid legitur in sanctis libris: « Reddens peccata patrum in sinum filiorum eorum » post eos<sup>3</sup>? » et, « Reddens peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam progeniem<sup>3</sup>? » Qui numerus etiam pro universitate accipi potest. Numquid hæc falsa sunt? Quis hoc dixerit, nisi divinorum eloquiorum apertissimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens ad Testamentum Vetus<sup>4</sup>, quod in servitute generat, parentum peccatis obligat filios; spiritualis autem generatio, sicut hæreditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promissionesque mutavit. Quod Prophetæ in spiritu prævidentes, ista dixerunt; sed apertius Jeremias, « In diebus illis, inquit, non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in suo peccato morietur; et ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupescent dentes ipsius<sup>5</sup>. » Nempe manifestum est, ita hoc prophetice pronuntiari, sicut ipsum Testamentum Novum, quod prius occultum fuit, et per Christum postea revelatum est. Denique ne nos moverent ea quæ commemoravi, et cætera hujusmodi plurima de reddendis in filios peccatis parentum, quæ utique veraciter scripta sunt, et huic prophetiæ contraria putarentur; continuo solvit istam molestissimam quæstionem, conjungendo atque dicendo: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israël et domui Juda Testamentum Novum<sup>6</sup>, non secundum Testamentum quod disposui patribus eorum. » In hoc igitur Testamento Novo per sanguinem testatoris deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, qui-

<sup>1</sup> 3 Reg. xii, 19. — <sup>2</sup> Id. xxi, 26. — <sup>3</sup> Jerem. xxxviii, 18. — <sup>4</sup> Exod. xx, 5. — <sup>5</sup> Galat. iv, 14. — <sup>6</sup> Jerem. xxxi, 29 et 30, 31.

bus nascendo fuerat obligatus, ipso Mediatore dicente: » Ne vobis patrem dicatis in terra<sup>1</sup>: » secundum hoc utique, quod alios natales quibus non patri succederemus, sed cum patre semper viveremus, invenimus.

LXXXIII. Ad omnia me tibi respondisse, Juliane, et omnia refellisse, quibus putasti et disputati voluminibus quatuor credendum non esse originale peccatum, et concupiscentiam carnis non posse culpari sine damnatione nuptiarum; puto quod perspicias, si pervicax non sis. Demonstratum enim est, eum tantum paterno antiquo debito non teneri, qui hæreditatem patremque mutavit; ubi cohæredem invenit unicum per naturam adoptatus ipse per gratiam: eique tantum concupiscentiam carnalem mortem non inferre post mortem, qui in Christi morte invenerit mortem qua moriatur peccato, et evaserit mortem qua natus fuerat in peccato. « Unus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est<sup>2</sup>: » nec aliqui poterunt vivere pro quibus non est mortuus, qui pro mortuis vivus est mortuus. Hæc negans, his repugnans, ista convellere moliens catholicæ fidei munimenta, ipsosque nervos disrumperé christianæ religionis, veræque pietatis; audes insuper dicere: « Quod contra impios bella susceperis: » cum adversum matrem quæ te spiritualiter peperit, armis impietatis induaris. Audes « Te agmini sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotumque miscere » cum tibi dicant Patriarchæ etiam pro parvulis natis oblata sacrificia pro peccatis; eo quod non sit mundus a sordibus nec infans diei unius super terram<sup>3</sup>: cum tibi dicant Prophetæ, « In iniquitatibus concepti sumus<sup>4</sup>: » cum tibi dicant Apostoli: « Quicum-

<sup>1</sup> Matth. xxiii, 9. — <sup>2</sup> 2 Cor. v, 14. — <sup>3</sup> Levit. xii, et Job. xiv, juxta LXX — <sup>4</sup> Psal. lv, 7.

» que baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius  
 » baptizati sumus<sup>1</sup>; » ut existimemus nos mortuos quidem  
 esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu : cum  
 tibi dicant Martyres<sup>2</sup>, Secundum Adam carnaliter natos  
 contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere,  
 unde parvulis dimittantur in baptismo, non propria, sed  
 aliena peccata : cum tibi dicant Sacerdotes, carnali voluptate  
 concretos prius subire delictorum contagiū, quam  
 vitæ hujus haurire munus<sup>3</sup>. His te consociare præsumis,  
 quorum fidem debellare conaris. Audes dicere, quod a  
 Manichæorum consortio vincaris, qui Manichæos invictos  
 facis, nisi cum eis et ipse vincaris. Falleris, fili, miserabiliter  
 falleris, vel etiam detestabiliter falleris : quando animositatem  
 qua teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere qua  
 vinceris.

<sup>1</sup> Rom. vi, 3 et 11. — <sup>2</sup> Cyprian. epist. 64. ad Fidum. — <sup>3</sup> Ambrosius libro de Sacramento regenerat.

## S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

AD VALENTINUM ET CUM ILLO MONACHOS,

LIBRI UNUS<sup>1</sup>.

*Docet cavendum esse, ne vel gratia negato libero arbitrio, vel negata gratia liberum arbitrium defendatur : nam liberum voluntatis arbitrium inesse homini, constare ex Scripturarum testimoniis : de ipsa etiam gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, data esse in iisdem Scripturis divina documenta. Postea contra Pelagianos probat gratiam non secundum merita nostra dari. Explicat, quomodo vita æterna, quæ bonis operibus redditur, vere sit gratia. Tum vero monstrat, quod neque scientia legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum sit illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa gratia faciat ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Expugnat vanum illud Pelagianorum perfugium, quo dicunt, gratiam, etsi non secundum merita honorum operum detur, tamen dari secundum merita bonæ voluntatis, quæ præcedit, credentis et orantis. Incidit in quæstionem, cur Deus jubet, quod ipse daturus est ; et an jubeat aliqua, quæ non possumus. Charitatem, sine qua præcepta non implentur, non in nobis nisi ex ipso Deo esse convincit. Ostendit operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas*

<sup>1</sup> Scriptus anno Christi 426 aut 427.